Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Philosophia Aristotelica - Cod. Ettenheim-Münster 289

Aristoteles

[S.l.], [17. Jahrh.]

Caput 1mum

urn:nbn:de:bsz:31-130062

Visual Library

Termini vocantur materia remota argumentationis, propo=sitiones verò propinqua, et argumentatio vocatur ipsum compositum, ex materia remota et propinqua sive ipse syllogismus: de quibus omnibus hic iam ita promissis ordine agemus, et quidem in prima disputatione de prima mentis operatione, sive terminis suppositione definitione ac divisione in 2da de 2da mentis operatione enunciatione scilicet, eiusque proprietatibus, et in tertia denique de syllogismo. Deus adsit studiis nostris, nos verò omnia ad Deum eiusque gloriam referamus: quod si alicui studium hoc, ut omne initium grave est, initio grave videtur, memor sit Apophtegmatis Aristotelici, quo aiebat: studiorum liberalium amaras quidem radices, fructus verò perquam dulces esse.

Disputatio Prima

De prima mentis operatione, sive terminis, definitione item et divisione.

Caput primum.

Quid sit terminus logicus.

Non est hic quaestio de termino latissime sumpto, prout idem est ac ultimum, sicut mors est terminus vitae, et montes vel fluvii fines ac termini regni vocantur: neque hic agitur de termino prout significat finem propositum, sicut Coelum v.g. dicitur esse terminus iustorum, infernus reproborum etc. sed stricte accipitur tantum de termino Logico prout à Logica consideratur, qui ut eo melius intelligatur quid sit, breviter prius explicandum, quid sit propositio.

Propositio itaque iuxta Philosophum libro 1mo priorum
Capite 1mo est oratio affirmativa vel negativa alicuius
de aliquo ut sic dico: <u>Petrus est logicus, Paulus non
est logicus</u>. quadruplex autem fere est propositio: mentalis
vocalis, scripta, et obiectiva. mentalis est ipse actus
intellectus vel cognitio unum de altero affirmans vel
negans. vocalis sunt voces, per quas propositio mentalis
exprimitur. scripta denique est, per quam conceptus et verba
in carta exprimuntur, et hae vocantur propositiones
formales. propositio vero obiectiva est ipsum obiectum
propositionis, de quo aliquid affirmatur vel negatur,
quamvis valde improprie ita vocetur quia obiectum
non est affirmatio vel negatio proprie loquendo, sed potius
ipsum affirmatum aut negatum per propositionem. unde
etiam copula obiectiva proprie non praedicatur, quia est
ipsa identitas, sed tantum praedicatur copula formalis,
et quidem praecise ut quo. componitur autem propositio
ex tribus partibus, subiecto scilicet, praedicato et
copula, sicut corpus physicum homo v. gr. componitur
ex corpore anima et unione. <u>subiectum</u> dicitur illud,
de quo in propositione aliquid affirmatur vel negatur.
<u>praedicatum</u> vero est id, quod affirmatur vel negatur. <u>copula</u>
vel unio ac nexus inter praedicatum et subiectum est verbum
substantivum <u>sum</u>, ut in hac propositione: <u>Petrus
est doctus</u>, in qua <u>adiectivum doctus</u> est <u>praedicatum</u>
quod affirmatur de Petro, <u>Petrus</u> subiectum de

quo affirmat, quod utrumque verbum sum invicem conjungit. Subjectum et praedicatum vocantur partes principales, vel ut quod copula pars minus principalis, et tantum ut quod* in propositione negativa copula nexum quidem etiam significat, sed is per particulam non negatur.

Notabis tamen ad solvendas plures objectiones, imo parum referre quo loco ponatur subjectum et praedicatum, neque copulam necessario debere esse in medio inter subjectum et praedicatum, ut si dico: Petrus doctus est, copula quidem non est in medio, quoad pronunciationem grammaticaliter et materialiter sumpta, est tamen in medio logice et formaliter sumpta seu quoad connexionem, manet enim subjectum in quolibet loco id, de quo aliquid dicitur, et praedicatum id quod dicitur, et copula nexus praedicati cum subjecto. neque semper debet explicite poni verbum sum v: gr: hic: logicus scribit, tunc enim iam implicite et virtualiter sunt tres partes, quia sensus est: logicus est scribens, ubi praedicatum et copula in eodem verbo continentur. sic etiam resolvuntur hae propositiones: pluit, tonat, sensus enim est: coelum est pluens, tonans etc.

Caetera, ut sunt casus obliqui, adverbia, ac relativa, dicuntur affectiones terminorum, vel certe recipiuntur per modum unius cum praedicato et subjecto. v: gr: si dico: Logicorum auditorium est valde amplum. To auditorium est subjectum to logicorum idem est ac logicum auditorium, to amplum est praedicatum, to valde est affectio praedicati, quia facit ut praedicatum aliter significet, quam sine illo significaret, significat enim, quod auditorium

n quomodocunq; sed valde fit amplum, atq; ideo longe aliter afficit praedicatum, magisq; e significativum, quam si particula valde n adesset. his bene perspectis.

Notandum ergo terminum logicum ab Aristotele, libro 1mo priorum capite primo ita describi: terminum autem voco, in quem resolvitur propositio, ut praedicatum, et de quo praedicatur, apposito vel separato esse vel non esse. hoc e: Terminus e id, quod ablata copula manet in propositione, sive, sicut ablata unione homo resolvitur in corpus et animam, ita ablata copula resolvitur propositio in subiectum et praedicatum, quorum termini ablata unione remanent. Verba illa apposito vel separato esse vel n esse significant tantum, quod omnis propositio debeat esse affirmativa vel negativa: quam Aristotelis descriptionem varii varie proponunt, multi defendunt, multi etiam deserunt, quidquid tamen sit de aliis.

Dico ego brevissime: terminus logicus iuxta mentem Aristotelis e extremum propositionis. probatur 1mo definitio haec e brevis, clara, Aristotelica, et convenit omni et soli, ergo bona. probatur antecedens 1mo negative, quia non potest ostendi quid bonum illi desit. probatur 2do positive ex Aristotele qui libro 5to metaphysicorum textu vigesimo 1mo terminum in genere definiens, ait: terminum e extremum alicuius rei, additq;: nomine extremi n tantum intelligi finem sed etiam principium. ex quo textu sic ego argumentor iuxta Philosophum terminus e extremum illius rei, cuius e terminus, ergo etiam iuxta eundem terminus logicus e extremum illius rei, cuius e terminus, subsumo: sed n potest esse alterius

rei extremum quam propositionis, ergo iuxta Aristotelem terminus logicus est extremum propositionis. ex quo patet, quod, si Aristoteles explicando terminum per extremum, non explicat idem per idem, et obscurum per obscurum, id neque nobis potest obiici, qui cum ipso sentimus ac loquimur, et consequenter ab eo non recedimus.

Confirmatur. illud recte dicitur terminus propositionis, quod terminat propositionem, sed omnia et sola extrema terminant propositionem, ergo omnia et sola extrema sunt termini propositionis. item iuxta Aristotelem omnis et solus terminus est id in quod resolvitur propositio tanquam in praedicatum et subiectum, sed tantum resolvitur in extrema, ergo in utroque omnia et sola extrema sunt termini. probo minorem si aliquid aliud terminaret, terminaret copula, sed haec non terminat: cum enim sit nexus, medium, unio, et vinculum inter duo extrema, utique non potest esse ipsum extremum sicut id, quod in duobus punctis extremis alicuius lineae includitur, non potest dici extremum, sed medium inter extrema, possum autem dubitare utrum propositio non etiam resolvatur in copulam, ergo etiam ex hoc capite haec nostra definitio priori ibidem definitioni est praeferenda. ratio vero ulterior cur copula non sit terminus est voluntas et auctoritas Aristotelis, tum etiam communis sensus, et modus loquendi doctorum, iuxta quos terminus vel extremum debet facta resolutione esse aliquid permanens, copula autem nil est permanens, sed perit sicut unio hominis morientis, et hinc sicut unio hominis non potest esse homo, nec unio lapidum lapis, neque unio terminorum potest esse terminus. alioquando tamen

Verbum sum duplici fungitur officio, copulae scilicet et praedicati, ut si dico: Petrus est. quae propositio sic resolvitur, Petrus existens. quod denique propositio neque in adverbia et casus obliquos dicatur resolvi, ratio est quia id tantum e terminis quod facta resolutione manet propter immediatam connexionem, quam antecedenter per copulam cum alio habuit, casus autem obliqui et adverbia, tantum manent quemadmodum tanquam affectiones praedicati et subiecti; quae non immediate cum iis connectuntur.

Solvuntur Obiectiones.

Obiicies imo propositio resolvitur in copulam, ergo copula est terminus simplex. antecedens, in id aliquid resolvitur ex quo componitur, sed propositio componitur ex copula, ergo etiam in copulam resolvitur. respondetur distinguo antecedens propositio resolvitur in copulam tanquam in extremum, vel subiectum aut praedicatum Nego antecedens, tanquam in aliquid quod non est extremum, aut praedicatum vel subiectum concedo antecedens et nego consequentiam. vel aliter sic dico: propositio resolvitur in copulam tanquam in aliquid permanens facta resolutione et partem ex quo N: antecedens, tanquam in aliquid non permanens, et praecise partem ex quo, con: antecedens et N: consequentiam; responsio patet ex paritate superius data cum unione hominis. ad probationem antecedentis eodem modo respondetur distinguo maiorem in id aliquid resolvitur ex quo componitur tanquam ex praedicato vel subiecto, parte permanente, et sub quod concedo maiorem: si non ita componitur nego maiorem distinguo minorem. sed

propositio componitur ex copula tanquam ex subiecto et vel praedicato parte permanente reliqua quod N: min: tantum est quo concedo min: et nego consequentiam.

Urgebis imo copula potest esse extremum propositionis ergo adhuc est terminus. Respondeo antecedens imo et hac propositione: Petrus qui est. ubi copula est ipsum extremum. Concedo ex hac: copula est, est copula, illud enim est terminus propositionis de quo aliquid dicitur, sed hic de copula est aliquid dicitur, ergo est terminus et extremum propositionis. R: nego antecedens imo probationem dist: copula est est extremum grammaticaliter sumpta et ordine pronuntiationis, et bene ordinata concedo. at nego logice et formaliter sumpta ordine debito constructionis N: antecedens et consequentiam. ordine debito constructionis enim id debet esse in medio, quod est medium significatio. At eadem probationem dist: concessa ma: dist min: sed copula est formaliter sumpta et ut agit munus copulae aliquid dicitur negatur. de ista tantum materialiter sumpta, ut est ipsa non agit munus copulae aliquid dicitur concedo mi: Dist: etiam consequens ergo copula est est extremum propositionis formaliter sumptum et actu munus copulae agit. N: consequentiam, materialiter sumptum, ut actu non agit munus copulae concedo consequentiam, in hac enim propositione reflexa: copula est est copula, una est non iungit praedicatum cum subiecto, nec est medium inter extrema, sed est id, de quo aliquid dicitur. unum ergo est. sumitur materialiter, aliud sumitur formaliter, quia actu nexit unum est, cum praedicato. Tunc autem tantum vox aliqua dicitur sumi formaliter, cum sumitur pro suo significato, et actu munus exercet, ut si dico: logicus disputat, quia eius officium est disputare.

Si vero dico: logica est nomen, sumitur tantum materialiter non pro suo significato, sed nuda voce; idem iam dic de verbo sum esse.

Urgebis 2do copula est sumitur formaliter in dicta propositione ergo nulla responsio. Probo antecedens: copula formalis est 3tia persona verbi sum, sed est 3tia persona verbi sum, ergo sumitur formaliter. R: Nego antecedens; ad probationem distinguo maiorem: copula formalis est 3tia persona verbi sum si sumitur formaliter directe et applicative qua talis sive prout actu exercet suum munus connectendi; si sumitur tantum materialiter reflexe et significative et qua est talis Nego maiorem. Et sic distincta minore etiam consequentiam; responsio ratio patet ex dictis.

Urgebis tamen 3tio si dico: homo est animal rationale est bona definitio; animal est sumitur formaliter, et tamen est terminus ac subiectum saltem inadaequatum. Item de tota propositione aliquid dicitur. ergo copula formaliter sumpta est terminus et tota propositio potest esse terminus. R: Distinguo antecedens: animal est sumitur formaliter respectu simplicis propositionis homo est animal rationale, concedo; respectu duplicis propositionis, Nego antecedens; dico etiam consequens: ergo est terminus respectu propositionis in qua sumitur formaliter, Nego; consequentiam tantum materialiter concedo consequentiam; dici etiam potest, aliud esse copulam formaliter sumi, aliud formaliter esse copulam. et in hoc ultimo sensu non potest esse subiectum, sic etiam dico, quod tota propositio, cum de illa aliquid dicitur, possit esse terminus non tamen seorsim considerata et respectu sui ipsius, sed respectu alterius propositionis, cuius est pars: potest enim eadem res diversimode considerari, sic hoc, damus, sic considerantur seorsim

non est pars, sed totum, sunt autem pars, si sumatur cum copula,
& omnis cum civitate conserantur; ita etiam in hac propositione homo est
animal rationale, non est pars respectu sui, sed totum, sed respectu
adiuncto propositionis: homo est animal rationale, est bona
definitio, est pars: ergo sub diverso respectu potest esse pars
et totum, quod non implicat.

Obiicies 2do praedicatum est id quod praedicatur, et subiectum
id de quo aliquid praedicatur, sed vox et littera non praedi-
cantur neque subiiciuntur, ergo non sunt subiectum aut praedicatum
nec terminus. R: distinguo maiorem: praedicatum obiectivum est id quod
praedicatur et subiectum obiectivum est id quod subiicitur
concedo maiorem: praedicatum formale et subiectum formale sunt id
quod praedicatur vel subiicitur praedicationi, nego maiorem: et
conceptam minorem: distinguo consequens ergo vox littera et conceptus non
sunt subiectum aut praedicatum formale, nego: concedo, non
sunt obiectivum, nego consequentiam. Saepe damus signis nomen,
quod proprie loquendo tantum convenit significato.

Obiicies 3tio, si resolvitur propositio, non tantum perit
copula, sed etiam nihil aliud amplius remanet, quam nudi
duo termini: sed tantum antequam proponuntur v.g.: propositio
Deus est, fuit prolata, nunc tota perit, ergo nihil remanet.
R: distinguo antecedens, nihil amplius remanet formaliter et realiter
concedo, non manet aequivalenter nego. Nam idem dicendum est de tali
propositione, licet sint actus indivisibiles, est tamen
aequivalenter multiplex v.g.: Elicito hac propositione:
Petrus est doctus, propono statim iterum per novam

apprehensionem apprehendere Petrum, et per alteram dic-
tionem doctus sine copula: in tali casu idem subiectum
et praedicatum habes, non quidem realiter sed aequivalenter
etiam post resolutam propositionem: idem dic de propo-
sitione vocali etc: quod autem hoc non possit dici de copula,
nuper ostendimus.

Dices si semel resoluta propositio, tunc nihil amplius affi-
rmatur, ergo non manet subiectum et praedicatum. R: concedo
antecedens. Nego consequens, non manet actu, concedo consequens, non manet
potentia, N: consequens. termini enim non debent actu constitu-
ere propositionem, sed potentia sicut debent tantum
posse illam constituere. ita homo dormiens dicitur rationalis,
licet actu non ratiocinetur. idem respondendum si obiicias quod
in propositione quamdiu adest copula non detur resolutio et
consequenter nec termini; non enim resolvitur actu, concedo, non poten-
tia N: actualis resolutio non est de essentia, cum tamen adhi-
beamus ut clare pateat, quod partes propositionis sint termini.

Obiicies 2do, praedicatum et subiectum sunt idem, ergo male
est divisio. Probo antecedens in hac propositione homo est animal,
animal est praedicatum, ubi ergo animal est praedicatum
et subiectum, ergo sunt idem. R: N: antecedens. vel dico sunt
idem realiter concedo antecedens, formaliter N: antecedens et consequens
ad probationem dico antecedens: ergo animal est subiectum
et praedicatum sub eodem respectu et eadem propositione
N: antecedens sub diverso. concedo antecedens et N: consequens,
sunt enim duae propositiones: in una propositione est
praedicatum formaliter tantum, in altera subiectum

materialiter sumptum: quia de isto aliquid dicitur, neque ibi facit munus praedicati, cum non affirmetur, sed de ipso aliquid affirmetur.

Obiicies 3tio, non est recedendum in quaestione de nominis qualis haec est ab Aristotelis definitione, et communi doctorum, sed nos recedimus ergo. R: 1mo. Nego esse quod sit definitio, ut infra dicemus. R: 2do retorquendo argumentum in adversarios, quorum pauci servant verba Aristotelis, sed pro libitu aliquid vel addunt, vel demunt, ergo vel deserunt, vel corrigunt Aristotelem, nec ipsimet sibi conveniunt, atque ita non est communis doctorum. R: 3tio. transeat maior: Nego minorem: quod recedamus ab Aristotele probationibus: qui eam aliis verbis magis obscura clarius explicat, ab eo non recedit, sed illi potius obsequium praestat, sicut etiam aliqui textus sacrae scripturae sunt obscuri, an ideo ille a scriptura recedit, qui textum clarius explicat? quod autem aeque communis vel communior sit nostra definitio, testatur auctor recentissimus in impressis in academia Pragensi. Ratio vero ulterior, quod dictam Aristotelis definitionem non allegemus est: imo, quia potius est descriptio et regula quam definitio, sicut si quis diceret: si vis scire quae metalla continentur in aliqua massa, deprehendes id per illius resolutionem, quam regulam nemo admittet pro definitione. unde Aristoteles non dicit: definio, sed voco terminum, ac si ipse nollet hanc descriptionem pro definitione vendere. 2do fatentur adversarii, verba illa Aristotelis tamquam in praedicatum et subiectum aliaque esse quidem superflua, servire tamen pro clariori explicatione: quod si ita est, Aristoteli utique maior honor est, si dicamus, quod tota illa definitio potius sit explicatio, quam si dicatur, eum aliqua superflua addidisse, et interea unum verum et requisitum ad bonam definitionem neglexisse, genus scilicet, vel certe

eam non fieri per praedicatum primarium, sed tantum secundarium,
cum prius sit componi, quam resolvi. 2do quia tyronibus
atque obscurum difficile est dictu, quid, et an non etiam
copula sit id, in quod resolvitur propositio, et facilius intelligunt
quid sit extremum, dummodo aliquid norint: quod si dicas, in
sua illa definitione subintelligi implicite verum id, vel conju-
nctivum, tollit elegantiam graecam: contra est imo, ergo sic
et omnis pessima definitio poterit verti, pro elegantia. contra est
3tio, quod Aristoteles dicat terminus est in quem, hoc enim vox, in
quem clare significat, quod nempe intelligat terminum, et non
aliquid aliud. 4to ut salvemus honorem et authoritatem
Aristotelis, cui nempe maior est honor, si dicamus, quod ibi fecerit
bonam descriptionem potius, quam malam definitionem, pro
cuius defensione si adversarius licitum putabit aliquid vel
demendo vel addendo, vel subintelligendo, nobis nullo magis licebit
nostram seu peritiorem Aristotelis definitionem allegare, quam si
probemus, quod bona sit et Aristotelica, saltem cum quod debuimus,
nec teneamur alios aliorum definitiones ex institutis probare vel
improbare, licet facile ostendi posset, eos ab Aristotele vel aperte
vel ex toto discedere, vel e dissentientibus obscuras, convenire etiam
copula, fieri per genus tantum aliove defectu laborare.
Obiicies ultimo. haec definitio est identica explicans idem per
idem et obscurum per obscurum, extremum enim est quod terminat, et
quod terminat est terminus, ergo est nota, sicut nota esset si
dicerem, terminus est terminus, vel qui terminat, ergo est gladius esset si-
Resp: imo retorquendo et invertendo ordinem in omnes fere aliorum
sententias maiori defectu laborantes. Resp: 2do directe N. antecedens
et paritatem adversariam. imo enim non est identica, quia per terminum
aliqua intelligunt, quae non intelligunt per hoc extremum non per vocem
terminus intelligunt termini omnium artium: quibus relationes

per extremum autem tales termini non intelliguntur: sic enim in Vena-
toria V. gr.: possum dicere: isti et isti sunt termini huius artis
non autem possum dicere, sunt extrema artis. Item possum dicere hic
hoc stat in bonis terminis quoad suum principium, non vero extremis,
ergo aliquid intelligitur per vocem terminus, quod non intelligitur
per extremum, possum autem de gladio dicere, quod de aspe et
Vinum sim ergo non est pariter. 2do fatentur adversarii omnes alias
definitiones non esse exactas, de nostra id tantum dicunt et non probant
nec solvunt argumenta; 3tio nostri cum Complutensi in sua illa definitione
subintelligi volunt terminus est id extremum, vel constitutivum et
ergo nos nihil novi dicimus, sed id reliqui auctores explicite ponere, quod
illi subintelligunt, scilicet extremum: cum praesertim ipsimet aliqui adve-
rsarii alias terminos semper vocent extrema, extremum scilicet maius
et minus: si ergo hi ne bene loquantur, nec explicant idem per idem, cur non
etiam terminum ita definiunt, ut magis uniformiter loquantur.
4to quidquid ergo facilius a Tyrone intelligitur id quod est per se et
quod vel in quod resolvitur propositio, vel quod est extremum pro-
positionis? 2 videtur sane quod hoc ultimum, sic enim statim argumen-
dabitur vel occurret Tyro: si id est terminus logicus, quod est extremum
propositionis, tunc hoc deberet esse in hac propositione petrus est doctus
Petrus est doctus, quia non video aliud extremum, et natura dictat
quod copula quae ex sua essentia est medium inter extrema non possit esse
ipsum extremum. 5to quod denique non possim dicere terminus est
quod terminat, vel terminus est terminus, colligitur ex modo dictis,
et quod aliunde constet, quod non possimus uti iisdem terminis
et verbis, sicut si nescienti et interroganti quid sit vivens,
agens etc.: non responderem, vivens est quod vivit, agens quod agit,
quia definitio et explicatio ignoti debent semper fieri per aliquid
notius. His paulo fusius dictis reliquam terminorum divisionem et
proprietates breviter percurramus.

Caput 2dum

De termino significativo et non significativo, cathegorematico et syncathegorematico, complexo, incomplexo etc.